



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 11. De vita Christi ab anno 12 ad 30.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)

Sed exemplo B. Virginis, maior orandi, aliaque bona opera exercendi studio querat Dominū, & sine dubio, si in eo perstiterit, tandem inueniet.

8. Puer IESVS inter amicos & cognatos quæsusitus, non est inuentus, sed in templo Dei, ut indicaretur, inter cognatos & amicos carnem & sanguinem non reperiri, sed potius perdi Christū. Vnde qui volunt adhærere DEO, & operā dare suę saluti, non multum debent conuersari cum consanguineis, & amicis, imo debent potius fugere, & ab illis se separare: nā ut dicit Propheta Regius. Deus eius animæ speciem & pulchritudinem concupiscit, quæ

*Psal. 44. propter ipsum obliuiscitur populum suum  
& domum patris sui.*

9. Christus hoc loco à matre certo quodam modo reprehensus; benignè & humiliter respondit; sed in nuptijs rogatus à matre ut faceret miraculum, respondit seuerius. Vnde discimus reprehensiones humiliter esse suscipiendas, quicquid autem ad laudem & honorem nostrum pertinet; durioribus verbis respuendum.



## MEDITATIO XI. DE VITA CHRISTI AB ANNO 12. AD 30. PVNCTA MEDITATIONIS.

*Luc. 2. I. IESV venit cum eis in Nazareth,  
& erat subditus illis.*

2. Et

II. Et Mater eius conseruabat omnia in  
corde suo.

III. Et IESVS proficiebat sapientia etate  
& gratia apud DEVVM & homines.  
Videturq; vnà cum Iosepho ar-  
tem fabrilem exercuisse; vt col-  
ligitur: Nonne hic est faber? Marc. 6.

## FIGVRÆ.

1. IOSEPH in Ægypto mansit vsque ad Gen. 41.  
annum ætatis trigesimum incogni-  
tus. Anno autem trigesimo à Pharaone  
toti Ægypto præpositus est.
2. Moyles , antequam mandato Dei Exod. 3.  
abijset ad liberandum populum Israel à & 7.  
seruitute Ægyptiaca, multis annis occul-  
tus habitauit in terra Madian.
3. Dauid triginta annis partim occul-  
tus fuit, partim profugus. Anno autem  
trigesimo ætatis ad regnum vocatus, cæ-  
pit regere populum Dei. 2. Reg. 5.
4. Puer Samuel in Silo seruiens Deo 1. Reg. 3.  
in templo, vt dicit scriptura , crescebat &  
proficiebat, placens Deo & hominibus.

## PROPHETIAE.

- I. Sic ut obstupuerunt super temulti, sic in- Esai. 54.  
glorius erit inter viros aspectus eius, &  
forma eius inter filios hominum.

B 7      2. Ve-

2. *Verètu es Deus absconditus: Deus Is-  
rael Saluator.*

## D O C V M E N T A.

1. **I**ESVS voluit subiectus esse parentibus pro nostra instructione, & superbię nostrą cōfusione, qui sapientiū refugimus esse subiecti superioribus nostris. Itaque si Christus, mundi Imperator, cui cœli, omnesque res aliæ sunt subiectæ, voluit se submittere parētibus multo se inferioribus, nos, qui sumus serui, non debemus dignari subiçere nos superioribus nostris.

2. Si Prælati considerent, Iosephum tenuisse locum prælati, Christum verò subditi, nullam habebunt occasionem superbiæ, ex eo quod alios dignitate & auctoritate præcedant. Nam sapè contingit subditos maioris esse meriti, quam prælatos: & qui subditi sunt aliorum in hac vita, in altera fieri eorundem in æternum superiores.

3. B. Virgo conseruabat omnia verba dicta de filio, conferens ea in corde suo; Quo exemplo discimus quemadmodum Verbum Dei audiendum sit; & quo fructu: nempe, recipiendo illud in corde, & ibidem conseruando & considerando, non autem faciendo more illorum, de quibus vulgo dicitur, quod verbū Dei una aure excipiant, altera elabi finant.

4. I E S V S crescens aetate, simul crescebat in sapiētia & gratia apud Deum & homines. Qui sunt veri Christi imitatores, non debent committere, ut vita tempus sine fructu abeat, sed operam dare, ut in spiritu proficiant, & de virtute in virtutem crescant; crescendo simul in gratia, tum apud Deum, per obseruationem præce-

præceptorum, tum apud homines per bonæ conuersationis exemplum.

5. Christus, dum esset puer, crescebat ætate, virtute & gratia. Merito hic pudefiant multi Christiani, qui filios suos non secundum formam à Christo suo exemplo præscriptam, sed secundum peruersam huius mundi disciplinam educant, & dedecori sibi esse putant, cum filij proficiunt in timore Dei, cultu pietatis & studio virtutum christianarum: gaudent autem, quando vident eos in carnis prudentia, & mundi nequitia aliquos facere progressus.

6. Christus, ut scriptum est, cœpit primum facere, deinde docere. Nam triginta annos primò exercuit se in obedientia, patientia, & oratione. Deinde verò tribus annis ultimis prædicauit, & docuit alios, ut intelligat prædicator Euangelicus, si verbo alijs prodeſſe velit, sibi vitæ integritatem, & bonorum operum exercitium primùm curandum. Nam non facile alios docebit verbo, quod nō ipse prius præstet suo exemplo.



## MEDITATIO XII. DE PRAEDICATIONE S. IOANNIS.

### PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. Anno 15. Tiberij venit Ioannes ē deserto ad Iordanem, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, dicens: appropinquauit regnum Cœlorum.

*Matt. 3.  
Marc. 1.  
Luc. 3.*

*2. IOAN-*